

OCTOBER

Die 9 Octobris

S. Abraham, patriarchæ

(Memoria)

Ant. ad introitum

Sir 44, 20

Abraham magnus pater multitudinis gentium, et non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem excelsi.

Collecta

Deus, qui in præmium fidei Filium tuum Unigenitum ex semine Abrahamæ mundo nasci promisisti, concede, propitius, ut fide, quam in baptismo suscepimus, in nobis usque ad mortem per caritatem operante, caelo nasci mereamur.
Per Dóminum.

LECTIO PRIOR (propr.)

«Fide obtulit Abraham Isaac»

Lectio Epistolæ ad Hebraeos

11, 8-12. 17-19

Fratres :

Fide vocatus Abraham oboedivit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem, et exivit nesciens quo iret.

Fide peregrinatus est in terra promissionis tamquam in

aliéna, in casulis habitando cum Isaac et Iacob, coheredibus promissionis eiusdem; expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius artifex et conditor Deus.

Fide — et ipsa Sara stérilis — virtutem in conceptionem seminis accepit etiam præter tempus ætatis, quoniam fidem credidit esse qui promiserat; propter quod et ab uno orti sunt, et hoc emortuo, tamquam sidera cæli in multitudine et sicut haréna quæ est ad oram maris innumerabilis.

Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, et unigenitum offerébat ille qui suscepit promissiones, ad quem dictum erat: «*In Isaac vocabitur tibi semen*», arbitratus quia et a mortuis suscitare potens est Deus; unde eum et in parabola reportavit.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Lc 1, 69-70. 71-72. 73-75 (R.: Ps 39, 8a. 9a)

℟. Ecce venio, Dómine, ut faciam voluntatem tuam.

- 1 Eréxit cornu salutis nobis
in domo David púeri sui,
sicut locutus est per os sanctorum
qui a sæculo sunt Prophetarum eius. ℟.
- 2 salutem ex inimicis nostris,
et de manu omnium qui oderunt nos:
ad faciendam misericordiam cum patribus nostris
et memorari testamenti sui sancti. ℟.
- 3 Iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem nostrum,
datum se nobis

ut sine timóre, de manu inimicórum liberáti,
serviámus illi in sanctitáte et iustítia coram ipso
ómniibus diébus nostris. R̄.

ALLELUIA

Io 8, 56

R̄. Allelúia. V̄. Abraham pater vester exsultávit ut vidéret
diem meum, et vidit et gavísus est.

R̄. Allelúia.

EVANGELIUM (propr.)

«Antequam Abrahám fieret, ego sum»

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 8, 51-59

In illo témpore :

Dixit Iesus Iudáeis: «Amen, amen dico vobis: Si quis
sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in ætérnum».
Dixerunt ergo Iudæi: «Nunc cognóvimus quia dæmónium ha-
bes. Abraham mórtuus est et Prophétæ, et tu dicis: Si quis
sermónem meum serváverit, non gustábit mortem in ætérnum.
Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mórtuus
est? Et Prophétæ mórtui sunt: quem te ipsum facis?».

Respóndit Iesus: «Si ego glorífico me ipsum, glória mea
nihil est; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis:
Deus noster est; et non cognovístis eum, ego autem novi
eum. Et si díxero: Non scio eum, ero símilis vobis, mendax,
sed scio eum et sermónem eius servo. Abraham pater vester
exsultávit ut vidéret diem meum, et vidit et gavísus est».

Dixerunt ergo Iudæi ad eum: «Quinquagínta annos non-
dum habes et Abraham vidísti?»

Dixit eis Iesus: «Amen, amen dico vobis: Ante quam
Abraham fieret, ego sum». Tulérunt ergo lápides ut iácerent
in eum, Iesus autem abscondit se et exívit de templo.

Verbum Dómini.

Super oblata

Hæc hóstia, Pater clementíssime,
spíritu filiórum adoptiónis nos répleat,
ut beáti Abrahæ oratiónem imitántes,
in peténdis donis tuis íterum atque íterum
instáre non vereámur.

Per Christum.

*Praeferenda est prima prex eucharistica quia hic patriarcha nominatur in
oratione: Supra quæ propitio.*

Ant. ad communionem

Iac 2, 23

Crédidit Abraham Deo: et reputátum est illi ad iustítiam, et
amicus Dei appellátus est.

Post communionem

Mysteriórum tuórum, Dómine, sancta percéptio,
illum nobis fidei et oboediéntiæ spíritum infúndat,
quo pater géntium amicus tuus méruit appellári.
Per Christum.